




G.

Q. II, 109.

Aus. I, 264. etc.

## Conspectus.

1. Albinus, Ioh., Oratio in anniversaria memoria obitus illi Prince. Saxoniae Mauricii pronuntiata. Lipsiae 1572.
2. Schumacher, Henr. Aug., De singularibus Divinae providentiae documentis in Mauricio Duce et Electore Saxonie observatis. Lipsiae 1749.
3. Ej. progr. De egregiis Divinae proviq. signis in dvo Mauriceo Saxonie... perspectio. Lipsiae 1750.
4. Wendler, Ioh. Chph., Merita serenorum Saxoniae Electorum ac datum lineaे Albertine in ecclesiam ac literas politiores. Teneae 1714.
5. Sosner, Jo. Carp., Panegyricum rever. seren. Principis Mauriti⁹ Gulielmi. Teneae 1714.
6. Poessig, Car. Gottlob., De Augusto I. Electore Saxonie. Lipsiae 1784.
7. Schumacher, Henr. Aug., De Augusto I. Electore Saxonie. Lipsiae 1751.
8. Ej. progr. De Augusto I. ob merita in rem sacram et civilem admirabili. Lips. 1752.
9. Boehmii, Ioh. Gottlob., De Augusti Saxonie Duci singulari in litterarum et artium studia amore. Lipsiae 1764.
10. Acad. Lips. progr. De Augusto Elect. Sax. meritis circa religionis reformationem. Lips. 1743.
11. Gotter, Thib. Gotthelf., et Quir. Chr. Gebhard., De statu Saxonie temporis Augusti. Teneae 1707.
12. Schubert, Ge. Ad., De meritis Elect. Augusti in iurisprud. Saxon. Lips. 1719. f.
13. Maior, Ioh., Exequiae Principi Augusto Ducis Sax. Electori etc. habita. Lipsiae 1586.
14. Ej. Parentatio Principi Augusto Electori Sax. etc. tertium, parta. Lipsiae, 1589.
15. Ej. Parentalia anniversaria Ducis Augusto Elect. Sax. etc. secundam habita. Lips. 1588.
16. Mylus, Ge., Oratio funebris de Augusto Pacifico Tarto etc. Witteloergae 1586.
17. Furnancius, Cr. fun. de Augusto Duce et Elect. Sax. etc. Lips. 1586.
18. Selnecker, Luitpold. & J. Brynnerus Augusto Gustavo eti. Ruffi. Nov. 31. 1586.
19. Albinus, Ioh., Oratio Prinice Augusto Duci p. ill. ob. immo habite. Lipsiae 1588.
20. Schiller, Zach., et Albinus, Ioh., Prince. Augusto Ducis Sax. Parentalia Lips. 1586.
21. Mirus, Mart., Viri filii Luitpoldi Pro. illi des. filii Altfred. in Sibz. Annus. Cf. 1586.
22. Ej. Luitpold. ill. & fil. Altfred. in Sibz. Anna. orel. Georgius, g. Ruffi. Dr. 1595.
23. Coetzal, Ge., In obitum Augusti Ducis Sax. Carmen elegiacum. Greboe 1586.
24. Berner, Ioh. Fried., De Ioanne Friderico Magnanimo. Lips. 1747.
25. Kappius, Jo. Erk., De religionis ante durantes annos in Sax. d. Mon. statu. Lips. 1739.
26. Hertzog, G. Lud., Oratio de clavis propter Mehlbergam causam. Teneae 1736.
27. Arndt, Gotth. Aug., Nonnulla Q. ingenio & moribus Mauritii Elect. Sax. Lips. 1806.
28. Ziegler Chr. Fr., Problem Mauritii Ducis Sax. vitori sicuti Hierusalem, facta in Lips. 1778.
29. Hempel Mich., Sacri. Sacelli in quo Electorum, etc. monum. 21 cond. Frisingi. Lips. 1604.
30. Reckenstein, Lazar., Synopticitate etc. trium Principum Sax. Mauritii Augusti et
31. Ist. lib. Ead. Ed. [in 2 foliis distincta pagina] Christianam. Teneae 1597.



119  
IOH. GOTTLLOB BOEHMII

ACAD. LIPS. H. T. RECT. ET FAC. ART. DEC.

DE

A V G V S T I

SAXONIAE DVCIS S. R. I. SEPTEMVIRI

S I N G V L A R I

I N

LITTERARVM ET ARTIVM STVDIA

A M O R E

O R A T I O


ANTE

L E G V M A C A D E M I A E

PRAELECTIONEM

D. XX IVNII A. R. S. MDCCCLXIII

H A B I T A



---

L I P S I A E

E X O F F I C I N A H E I N S I A

ГИЛБЕРГОЛЛОВ, НОІ

СЕЛЯ САІ ТІ ГОСІА АСЛАМІДА

БА

І Т А У Е У А

А дінній зеңбіл азактап көзде  
Азактап көзде

И

Арханы та шұлалы

Азактап

Оңдадо

И

Азактап амудан

SERENISSIMO PRINCIPI  
FRIDERICO AVGVSTO  
DVCI SAXONIAE  
S. R. I. ARCHIMARESCHALLO  
ATQVE ELECTORI  
DOMINO SVO CLEMENTISSIMO

IOH. GOTTLÖB BOEHMIVS

**G**o nsideranti mihi, quam benigne quantisque cum  
significationibus eximiae in litterarum atque at-  
tium studia voluntatis oblatam a me superioribus mensibus  
orationem, SERENISSIME DOMINE, accepisse,  
hic tam admirabilis iudicij TVI fauor incitamento fuit, vt  
hanc quoque alteram, in Academiae magistratu nuper a me  
habitam, vehementer cuperem TIBI consecrare. Si enim  
illa TIBI a Viro Summo, qui adolescentiae TVAE ad-  
motus est, beneuole commendata, non displicuit ob argumenti  
dignitatem, quod Mauricii, Principis Electoris Saxoniae,  
meri-

meritissimas laudes praedicaret : pro seculo ne haec quidem  
TIBI ingrata erit, qua ut Augusti Saxonis, prudentissimi  
et sapientissimi Principis, laudationem, pro mea facultate,  
prosequerer, animus meus, in Maiorum TVORVM  
ac TVAE ipsiusmet egregiae indolis virtutisque defixus  
admiratione, permouit. Atque illud etiam feci lubentissime,  
ut celebrarem dulcissimi beneficii, a Serenissimis Fratribus  
TVIS, Principibus indulgentissimis, haud ita pridem in  
hanc nostram Academiam collati, memoriam, quae per Ger-  
maniam omnem, per exteris nationes propagata, nostrisque  
non Annalibus tantum illata, sed etiam imis pectoribus im-  
pressa, numquam evanescet. Deum immortalem precibus  
maximis oramus atque obtestamur, ut TE, DOMINE,  
totamque Serenissimam Domum Saxoniam in columem at-  
que florentem conseruet ! Scripsi Lipsiae, d. vi. Kal.  
Septembr. A. R. S. CICIOCCCLXIV.

---

ILLV.



ILLVSTRISSIMI COMITES  
VIRI DIGNITATE ET DOCTRINA  
SPECTATISSIMI  
GENEROSISSIMI AC NOBILISSIMI  
COMMILITONES

 quadriennium exactum est, ex quo primum in hoc magistratu constitutus, hac condecoratus purpura, intra haec ipsa penetralia sapientiae habui ad Vos orationem. Illis temporibus quam misera tot inter ac tantas patriae nostrorumque rerum calamitates, huius Vrbis, Academiae huius facies! Quantum, quocumque conuerteres oculos, terroris, quantum metus ac sollicitudinis erat! Quam deserta in primis Musarum sacraria! quam steriles cathedrae! Adeo pauci, qui studia nostra aemularentur, ad nos tum adueniebant, ut idem ego in Academiae rectura, quemadmodum hodie, rite adeunda nouos aduenias vix ac ne vix quidem *triginta* numerarem. Quam ciuium nouiorum arctissimam annam quando cum laetiore hac, quae mihi nunc est, in dieſ-

A que

que magis ac magis surgit, quasi segete consero, (nam ultra ducentos triginta nobis iam succreuerunt,) tantum ex hac adfluentia pectus meum gaudii haurit, quantum ista ex paupertate olim tristitiae percepit. Itaque his auspicatiis magistratus mei confirmatus initii, in hunc locum ascendi: primum ut, quidquid inest illi tum oneris tum dignitatis, rite ac sollemniter suscipere; deinde ut cui tantum tribuere voluisti, Collegae Venerandi, fidem meam reipublicae gerendae ornandaeque palam cum ceremoniarum sanctitate addicerem; postremo ut Vos, Commilitones, si qui Vestrum hortatoris egerent, ad studium doctrinae, non proletariae illius, sed verae atque exquisitae, ad virtutem, ad vitae honestatem elegantiamque, et meo hortatu, et praecipue legum nostrarum praceptis accenderem atque inflammarem. Est autem haec a maioribus tradita, et a doctissimis prudentissimisque viris huc usque diligenter servata consuetudo, ut, ad audiendas istas et cohortationes et leges, animos iuuenum eiusmodi aliqua oratione demulcerent, quae vel propter rei grauitatem, vel propter facundiae vim iucunditatemque eruditis atque elegantibus hominibus non omnino displicere posset. A quo ego more ut ne diuortium facerem, et hoc ipsum magistratus mei officium, quod magnam partem in custodiendis tuendisque maiorum institutis versatur, et meus me animus, rerum nouarum minime cupidus, admonuit. Sequar itaque, quantum in me est, tot tantorumque virorum vestigia, et,

quum

quum eloquentia non possim, rei, de qua differere consti-  
tui, magnitudine audientiam mihi facere admittar.

Ego vero dicendi in hoc splendidissimo ac frequentis-  
simo consessu materiam, quae et mihi parata, et Vobis,  
Auditores, iucunda sit, vnde potius quam e nostro veluti  
fundo, e Patriae Historiae monumentis, rerum magna-  
rum ditissimis, depromam? Quapropter in deligendo de-  
clamationis argumento morem seruabo meum, Vestra be-  
nigna suffragatione iterum ac saepius comprobatum, verba  
facturus de Principe, quem successorem Mauricius Dux  
Elector Saxoniae nactus est, vti omnium summarum vir-  
tutum gloria cumulatissimo, ita in primis litterarum nostra-  
rum et Academiae nostrae amantissimo. Intelligitis de  
Augusti, Septemviri Saxonis, singulari in artium studia  
amore, ad Vos me orationem, vtinam rei amplitudini  
parem, adferre.

Quae quidem res tanta tamque eximia, Auditores  
omnium Ord. Honoratissimi, a nobis renocari in memo-  
riam, ac meritis laudibus celebrari debet hoc in primis  
tempore, quo in Serenissimis Principibus nostris, diuini-  
tus patriae nunc concessis, idem litterarum amor, eadem  
propensissima aduersus hanc Academiam voluntas ita elu-  
cet, vt omnium in se non modo ciuium, sed etiam extero-  
rum animos plane admirabundos conuertat. Recens, id-  
que quo in usitatus, eo nobis carius atque honorificentius  
beneficium est, beneficium tergeminum, a tribus Saxoniae



Ducibus, Iuuentutis Principibus, Clementissimis et Indulgentissimis Dominis nostris, haud ita pridem gratia in nos ea collatum, quam non nisi a **FRIDERICI CHRISTIANI** et **MARIAE ANTONIAE**, optimorum ac sapientissimorum Principum, Serenissima Sobole exspectaremus. Nam qui per ducentos amplius annos, etiam in summo Principum erga artium et litterarum studia favore, habitus non fuerat Lipsiae Academiae honos, is ei superioribus diebus liberalissime habitus est: videturque fortuna id, quod maioribus nimium diu non tribuisset, nobis tamquam geminato foenore voluisse conferre. Datum enim permissumque nobis erat, vt, (quae felicitas!) simul trium Saxonie Serenissimorum Principum nomina, adnuente Serenissima Isporum Matre, Matre Patriae, (quid enim Academiae, quid litteris, in earum fulgentissimum decus ipsa caelo demissa, non adnueret?) congratulante omni Aula, omni choro Musarum plaudente, in Academiae Album inscriberemus. Atque litterae publicae, quibus rei tam insolitae fidem ad posteritatis memoriam faceremus, satis eloqui non possum, quanta frontium hilaritate, qua vultus et verborum humanitate, quam luctuensis animi propensi significationibus, sint suscepitae. Adeo hi nostri Principes a tenera aetate studia doctrinae, quibus egregie erudiuntur, iuuare atque prouehere, adeo huius Academiae priscum decus augere ac splendidius reddere concupiscunt. Academia vero, quasi adflata his benignis

gnis sideribus, quidni spiritum resumat? quidni tempora in aurum redeuntia, hoc est, Augusti Saxonis tempora, quibus, ut ipse fuit Princeps litterarum scientissimus, ita res nostra Principali benignitate floruit, spe atque exspectatione praecipiat?

Sed quamquam a praesentis felicitatis commemoratione aegre oratio sese mea auerti patitur: tamen in proposito maneamus, atque Augusti in artium studia amorem breuiter, quando non licet cuncta persequi, exponamus. Id dum facio, Auditores, qua soletis benevolentia, diligenter attendite.

Litterarum ac sapientiae doctrinam maiores nostri, barbari et inculti homines, (ut ille apud Senecam pietatem, probitatem, fidem,) priuata bona putabant esse: Principum gloriam in tractandis et gerendis, quibus innascerentur, armis contineri. A qua opinionis peruersitate longe omnium, iam ante Augusti aetatem, Saxoniae Principes alienissimi, pacis aequae ac belli artibus semper eminuerunt. Sed ne longius exempla arcessam, Fridericus, Imperii Septemviri, cui Sapientis inditum cognomentum, item Georgius Barbatus, Dux Saxoniae, exquisita artium optimarum scientia ita imbuti, ita conspicui erant, ut istius laudis amplitudine perpaucos, ex omnium Principum numero, sua aetate pares haberent. Nam Georgio quis tum inter Principes non modo Germaniae, sed cultissimae Italiae, aut studiosior litterarum, aut intelligentior? In primis La-



tine sic sciebat, vt et Alberti patris res paeclarissime gestas digne perscribere adgrederetur, et epistolis doctis atque elegantibus Erasmos, Bembos, Sadoletos (quales quantosque viros!) in sui venerationem pertraheret. Ad hoc eruditi Principis perfectissimum exemplum Henricus frater, Saxoniae Dux, Mauricum et Augustum, Principes Iuuentutis, informandos, atque omnis liberalis doctrinae paeceptis erudiendos constituerat. Ea tempestate Fribergae in Hermunduris, quae tum ciuitas sedes Henrici Ducis erat, meliores litteras magna cum sui nominis fama Iohannes Riuuius, paestantissimus vir, profitebatur<sup>o</sup>: cuius disciplinae Augustum (nam de Mauricio nuper dixi,<sup>oo</sup>) ita traditum commissumque accepimus, vt ne publicis quidem

scho-

<sup>o</sup> Conf. Vita Ioh. Riuui, a GEORG. FABRICIO scripta, atque Opp. Theol. Riuui praemissa: item MELCH. ADAMVS in vitis Germanorum Philosopherum, p. 147 sqq.

<sup>oo</sup> Vid. Oratio de Mauricii, Ducis Electoris Saxoniae, in Academiagn Lipsicam insigni fauore.

<sup>ooo</sup> FABRICIVS Epist. ad Riuium scripta, in Riuui Opp. Theol. p. 884. Te in aulam Ducis Saxoniae Henrici ample honestoque stipendio vocatum, eiusque Augustum, summae spei atque egregiae virtutis filium, singularemque Principem tuam in fidem disciplinamque traditum, ex alio-

rum litteris magna cum voluptate intellexi: quae tamen uberior multo erat futura, si tuis potius ea de re factus certior fuisset: praesertim quum post illud tempus, quam ex patria sum in Italiam profectus, nihil neque a te, neque de te, praeter hoc unum acceperim. Diu itaque incertus fui, quidnam potissimum facerem. - Postquam autem ad rationem hoc totum reuocare coepi, gratulandum existimau neque solum tibi, verum etiam patriae nostrae, atque ipsis litterarum studiis: tibi quidem, quod mirificam occasionem natius sis pri-  
mum eius facultatis in bonis litteris, quam



7

scholis abesset. \*\*\* Enituit autem iam tum in Augusto ea  
ingenii industriaeque alacritas, cui explenda vnius viri,  
quantumuis eruditissimi, sufficere doctrina non posset. Ita-  
que in hanc nostram litterarum Vniuersitatem, id maxime  
temporis mira doctorum hominum adfluentia et celebri-  
tate florentem, deductus \*\*\*\* anno supra millesimum quin-  
gentesimum quadragesimo, (ex quo talis honos raro habi-  
tus nobis fuit,) in disciplinarum atque artium quasi paten-  
tissimos campos libero gressu est exspatiatus. Quo studii  
et industriae ardore id facile est adsequutus, vt, inter sui  
fastigii Principes, eximia doctrina et incredibili rerum va-  
rietate ac copia admirationi omnibus esset. Nec sane loco  
excelso genitos decet, intra angustos vnius et alterius di-  
scipli-

quam tanta industria tantoque usu  
parasti, explicandae, deinde ostenden-  
dae voluntatis in Rempublicam tuae,  
cuius ornamenta atque incrementa  
omnibus humanis semper anteponere  
michi visus es: patriae nostraræ, quam  
talem ob Principem, ad cuius gene-  
rosam indolem et heroicam plane na-  
turam, si cultus et liberalis doctrina  
accesserit, breui florentem beatissi-  
manque fore arbitramur: studiis de-  
nique ipsis, maius patrocinium digni-  
tatemque ampliorcm sub erudito excul-  
toque Principe habituris: quae stu-  
dia quamus multi ex illius ordinis  
viris magnifaciant et admirentur,

incognita tamen atque non percepta  
vere amplecti atque altius prouehere  
non solent. -- Quum autem secundum  
Deum in tua vnius diligentia, fide,  
sapientiaque positum sit, vt Auguſtum  
talem habeamus Principem, qualcm  
cupimus et optamus, hoc est, optimum  
et doctissimum, omnes curas et cogita-  
tiones ad id conferes, omnem alacri-  
tatem et industrian excitabis, cunctas  
denique et animi et ingenii vires ex-  
periere, vt spei et expectioni incre-  
dibili satisfacias. Conf. MOLLERI  
Chron. Fribergense, P. I. p. 292.  
\*\*\*\* Vid. Memorabilia Saxonica  
(Sächs. Merckw.) p. 785.

sciplinae cancellos confistere ; sed ingenium, ad omnia summa natum, velut quodam doctrinae orbe circumagere, vt, quum omnes bonas artes meliore sui parte didicerint, eas tanto et liberalius foueant, et altius prouehant.

Iam primum satis constat, Auditores, linguarum studium, praecipue Latinae, quanto magis nunc etiam in schoulis et Academiis friget, tanto magis Principum in aulis tum caluisse. \* Adeo illis temporibus Latine scire, summis quoque viris maxima laudi dabatur. Itaque Augustus quum ab istius sermonis scientia atque vnu iuuenis esset ante abstractus, quam penitus illum hauiisset; posthaec aetate prouectior, (scilicet annos natus quadraginta septem,) ad eumdem addito quasi gradu reuersus est, excitatus in primis exemplo Maximiliani secundi Caesaris. \*\* Hunc enim quotiescumque magna facundia Latine differentem audiuuit, (audiuit autem saepenumero,) toties talis facultatis comparandae cupidine pectus sibi vehementer accendi animaduertit. Erat autem hic talis tantusque Princeps, tot inter

Rei-

\* Vid. IAC. BVRCHARDI de Linguae Latinae, in Germania, satis Comment. P. II. c. 4. sqq.

\*\* Vid. IO. CYRIACI L. B. a POLHAIM Oratio, laudata a BVRCHARDO loc. com. c. 6. p. 563. Secundum eam ipse BVRCHARDVS: Quod, inquit, ad Maximilianum II. Ferdinandi et filium et successorem

dignissimum adtinet, hic in linguae Latinae cognitione -- tantum proficit, vt expedite et grauiter lingua hanc animi sui sensa exprimere deinde potuerit. Quod quum Augustus, Saxonicus Elector, coram aliquando admiratus esset, ita Latinam linguam cognoscendi cupiditate accensus est, ut tantos breui tempore in addiscenda ea pro-

Reipublicae grauissimas curas, Latini pulcritudine sermonis ita captus, ita studiosus recte dicendi, vt, si quando laboreretur, vel vnius leuis Grammaticorum paecepti mutandi potestatem immanni se pretio, (centum millia nummum apud quosdam inuenio,) redemturum ingenue fateretur.\* In epistolis quidem, ad Principes, fere semper Latina lingua, hominumque opera elegantissimorum, velut Davidis Peiferi, Cancellarii, est vsus. \*\*

Nec vero Latinis tantum litteris, sed etiam (incredibile dictu!) Hebraicis quinquagenario maior studium sub egregio magistro, Elia Huttero, Professore Lipsiense, impedit tam prospero successu, vt intra paucissimorum diem spatum sacras paginas et legeret adcurate, et satis intelligeret. \*\*\* Qua in re non ingenii vis et industriae contentio magis, quam consilii eximia probitas admiranda est atque concelebranda. Nihil enim hic Princeps noster vel in studiis, vel in reliquis pulcerrimae vitae actis ad ostentationem, cuncta ad pietatem, virtutemque, et publi-

*progressus fecisse praedicetur.* Conf. CHRIST. FRID. WEISSII Vitae Princ. Electorum Saxoniae, p. 159.

\* Vid. IO. GEORG. WILKII Epist. praemissa *Nepoti Saxonico*, p. 119. WEISSIUS loc. comm. p. 160.

\*\* DAV. PEIFERI Epistolae publico nomine scriptae, primum edi-

tae sunt cura FRID. GOTTH. GOTTERI, (jen. 1708. 8.)

\*\*\* Vid. ANONYMI de Elia Huttero, auctore Bibliorum Polyglottrum, narratio, in Commentar. de rebus antiquis et nouis Theolog. (*Unschuldige Nachrichten von alten und neuen theologischen Sachen*) An. 1716. p. 392.

B



publicae rei tum sacrae tum ciuilis commoda retulit. Per id tempus, Auditores, ortis inter praestantes rerum diuinarum doctores grauissimis concertationibus, quo penitus ipse caelestem veritatem cognitam habuit, eo magis intemeratam inter suos seruare contendit. Id quoniam inter nos satis constat, certe hoc tempore atque hac actione instituta diligentius commemorare supersedeo: praefertim quod, quod decurrere constitui spatium, longius sit, quam ut in vna re diutius haerere debeat nostra oratio.

Post studium linguarum, Latinae et Hebraicae, in laudatione Augusti, omni liberali scientia conspicui, quidni equidem Historiarum amorem cognitionemque, quam publica doctrina ipse profiteor, praecipuo loco ponam? Si ex sapientissimorum virorum sententia turpe est cuius vel priuatae fortis homini, quid ante se actum sit, oscitantur nescire: sane in Principe historiarum neglectum multo magis esse reprehendendum, quis non videt? Est profecto historia Principum schola, vnde, prout sapienter dictum est, fibi suaequae Reipublicae, quod imitentur, capiant; vnde foedum inceptu, foedum exitu, quod vitent: Principum speculum, in quod formandae componendaeque vitae adsidua et curiosa diligentia intueantur: Principum denique theatrum, in quo siue ex virtutibus plausum, siue ex flagitiis sibilum posteritatis laturi sunt. Praecipuum quippe munus Annalium Tacitus,\* et quis non?

\* Ann. III. c. 65.

cen-

censet esse, "ne virtutes fileantur, vtque prauis dictis factisque ex posteritate et infamia metus sit."

Igitur rerum cognitionem Augustus, sapientissimus Princeps, non ipse solum singulari amore complexus est, verum etiam in aliis praestantibus viris conspicuum ornare beneficiis, atque ingenia iuuentutis ad studium aemulandum excitare haud omisit. Nam in Academia Lipsica primus publicam Historiae doctrinam, de qua alio tempore curatius ex hoc loco dixi, \*\* instituit, eique Matthaeum Dresserum, \*\*\* ingenii atque eruditio[n]is laude praecellentissimum virum, ita praefecit, vt Grammaticorum ius nullum amplius in hanc velut prouinciam esset, opera autem a nemine valde desideraretur. Fuit enim Dresserus profecto is, qui omnis aeu[i] res memoria dignas mente comprehensas teneret; qui earum non modo euenta diligenter et adcurate notasset, verum etiam cauſtas atque incunabula, plerumque, vt Nili ortus, latentia illa et ab hominum respectu remota, sagacissimo studio exquisita perspiceret, quique de iis omnibus et perspicue differeret, et grauiter scriberet atque eleganter. Nam Graece quoque ac Latine scientissimus erat, et vtriusque litteraturae cognitionem doctrinamque profitebatur. Talem vero, Au-

B 2

dit-

\*\* Vid. Oratio de studii et doctrinae publicae Historiarum, in Academia Lipsica, ortu, (Lipſ. 1762. 4.)

\*\*\* De quo conf. ADAMI Vitae Germanorum Philosophorum, p. 495 sq.

ditores, tam varia tamque excellenti praeditum rerum scientia oportuit esse eum, quem Augustus, ingeniorum intelligentissimus aestimator, probaret iudicio suo, quem sustinendo ornandoque muneri nouo imponeret, quem maiorum egregie factis prescribendis illuminandisque idoneum ratus, *Historici* nomine praeclaro insigniret. Quippe Augustus, ut ante Mauricius, studio praecipue in Historiam patriam tanto ferebatur, ut, Petro Albino teste,<sup>\*</sup> in explicandam Vuittekindeae Familiae originem et incrementorum progressum non exiguae impensas infumeret. Inter alia complura bona illi seculo, Saxoniae, ut quondam Augusti Caesaris seculum Romanis, beatissimo ingenia contigerant decora multa, quorum liberali opera optimae artes et disciplinae omnes pulcerrime colerentur, atque Historia in primis patriae, maximarum rerum plena, etiam orationis splendore illustraretur atque ornaretur. Nam quae ante hanc aetatem, ut de barbaris et inficetis hominibus dicere omittam, vel Georgius Spalatinus, vel

alii

\* ALBINVS in Progymn. Hist. Saxon. p. 31. In primis celebrari hoc loco debet Illustrissimi Principis et Domini nostri, Dni Augusti, atque fratris ipsius, Mauricii, Ducum Saxoniae, et creandis Romanis Imperatoribus Septemvirorum, generosi animi respectus ad ista, et laudatissimum erga Historias studium: qui

et ipsi ad explicandam Vuittekindeae Familiae, (quae inter omnes non modo Saxonicas, sed et Germanicas, facile antiquissima est, quippe ex qua tot Regum, Ducum, et Principum familiae -- adhuc extant,) originem et incrementorum progressum, non exiguae impensas contulerunt, usi in hac re opera doctissimorum Misniae natio-

alii doctrina praestantes viri, litteris ad posterorum memoriam consignarunt, ut magnitudine rerum conspicua ita sermonis, praesertim patrii, nondum ad hanc, quae nunc est, elegantiam culti, quasi sentibus horridiora sunt, quam ut eos, qui delicias quaerunt, inuitare aut retinere possint.

Primus omnium Georgius Fabricius, orator, poeta, historicus, grammaticus plane insignis, (tantus in hoc uno tot laudum concentus erat!) Saxonicae Historiae lumen intulit, et ornatum adiunxit, illis perfectissimis Commentariis, \*\* quales illustrandis rebus nostris alias nemo est neque ante illum, neque post illum, adgressus conscribere. Adeo praefat nobilissimum opus, quod inde a vetustissimis temporibus ad Augusti Principatum usque deduxit, et rerum ordine, et veri studio, et orationis nitore, quem et argumenti dignitas, et Principis, cuius auspicio scripsit, auctoritas, et sua ipsius optima voluntas postulabat. Sed age, quid in epistola \*\*\* ad Augustum ipse dicat, audia-

B 3

mus.

*nationis virorum, Georgii Agricolae, cuius scripta Physica Itali non solum admirantur, sed ex iis etiam plurima transcribere non erubescunt, et Georgii Fabricii, Polyhistoris illius excellentis, et argutissimi Grammatici, ut quidam eum adpellant.*

\*\* G.E. FABRICII Saxoniae Illustratae Libri Nouem, editi sunt

a IAC. FABRICIO, (Lipf. 1606.  
f.) De iis vid. SCHREBERVS in  
Vita G.E. FABRICII, p. 155 sqq. it,  
STRVVII Bibl. Saxonica, p. 309 sq.

\*\*\* Praemissa est Saxoniae Illustratae Libris. Lubet in eamdem sententiam hic adiicere alium insig-  
nem locum ex alia eiusdem epistola,  
ad Vuolfgangum Meurerum, edita

iii



mus. "In hoc, inquit, scribendi genere, quod mandato tuo suscepisti, ne tuae contrarius voluntati viderer, reprehensionem, ut puto, non mereor: sed videant illi, quorum hoc iudicio fecisti. Nam ad munus tam arduum atque difficile accommodatus minime sum, qui iam deinde ab adolescentia in eo versor, in quo minus est alacritatis, multum molestiarum. -- Feci tamen, quod iustum fuit: et adhuc fero, quod mihi impositum: nec me vinci patior vlla in re, ut studium meum et voluntatem debitam humili submissione ostendam. Quamuis autem in his terris viri clarissimi multi sunt, qui sapientia, eruditione, vsu excellunt, qui potuissent negotium hoc melius et splendidius exequi: tamen, nescio quo fato, ad me delatum est, semper intra parietes, in umbra, in rebus minimis versatum, et iis, qui detulerunt, ingenio, auctoritate, experientia longe imparem. " Et omnino doctissimorum ho-

mi-

in STRVVI Actis Litt. Fasc. VI.  
p. 5. In absoluenda Saxonica Genealogia defudo: in qua mihi duae offeruntur maximae molestiae, quod autores lego imperitos et barbaros, et quod nullum rerum ordinem inuenio. Nam temporum quoque ipsorum notations pugnant, circumstantias actionum nullas habent, nullas explicaciones consiliorum, quibus mihi, in texenda narratione breui maxime opus esset. -- Interea officium

meum non negligo, et quasi fur quidam temporis, celerrime se subtrahentis, nostra studia prouehere et ornare cupio: quibus ego magis delebor, quam scribendis Originibus, homo semper obscurus, nec ad ullius rei magnae consilium unquam adhucitus, ut aliquando sit infamiae futurum magnis nostris oratoribus, qui mihi rem tantam commiserint. Mihi sat est ad voluntatem meam rectam tuendam, quod magistratui meo parvulum,

minum, in primis Historicorum, tantus tum apud nos, quantum antea **numquam**, erat prouentus. Eam quippe vim, Auditores, in ingenii, in studiis hominum habet Principis fauor atque adsensus, ut nulla re magis, quam hac lenissima veluti aura, excitentur, soueantur, euehantur. Neque adeo in aula, in sanctiore Consilio Augusti deerant, ut generis, virtutis, sapientiae, eruditionis omnis gloria fulgentissimi, sic cum primis rerum gestarum cognitione praefantissimi viri: hos inter Christophorus Carolouicius e Rubra Domo, Caesarum atque Ducum Electorum Saxonie amicus, cuius ingenio doctrinaeque tantum Fabricius tribuebat, ut ex illius Commentariis, magno studio et elegantia scriptis, suos quam emendatissimos fieri vellet, diligentissimeque corrigeret. \* Haud praetermittam in his talibus celebrare Davidem Peiferum, Augusti Cancellarium, a quo Lipsicae Origines, \*\* hoc est, huius nostrae

Vrbis,

*erim, fortasse non famae solum, sed  
vitae quoque periculo.*

\* **FABRICIVS** in Epist. ad Vlricum Mordisium, — adiecta Saxoniae Illustr. Lib. VII. p. 883. — — Mitto ad te Erneſti et Alberti, fratribus Illustrissimorum, res gestas, quantum ego quidem inuestigare potui. Eas, velim, mittas ad virum ornatissimum, omnique genere doctrinae et laudis praefantem, *D. Christophorus Carolouicium*, ut e suis

Commentariis, quos ipse scripsit, haec nostra fideliter emendet, et hoc patriae tribuat, ut Ducum praefantissimorum facta ad posteritatem fiant illustrata: facturus quidem rem mihi optatissimam, sed se multo magis dignam, patriae vero et optime meritis de ipso Principibus, plane debitam.

\*\* **DAV. PEIFERI** Lipsia, seu Originem Lipsiensium Libri IV. cu-  
rante ADAMO RECHENBERGIO  
(Merfb. 1689. 8.)



Vrbis, in qua natus erat, huius nostrae Academiae, in qua litteris erat a Ioachimo Camerario egregie institutus,\* res memorabiles omnes vsque ab initio, concinnatae sunt tam pulcre, tam ornate, vt, si latius industriam aut voluisset, aut per negotia potuisset proferre, facile omnium in compонenda perpoliendaque Historia Saxonica studium longissime superaturus fuisset. Nec vero Hubertum Languetum, e Burgundis, nobilissima stirpe natum, \*\* Augusti Consiliarium, et ad exterios Principes multos oratorem, sine piaculo siluerim. Hic ille vir est, qui belli Gothani, ab Augusto praeclare gesti, luculentam descriptionem posteritati reliquit; \*\*\* hic est ille, qui epistolas, de rebus sui temporis, ad Augustum, et primarios publicae rei administratos, perscrispsit quam plurimas, \*\*\*\* de quibus id, quod de Ciceronis ad Atticum litteris, dictum reperio: "Qui eas leget, non multum desiderabit historiam contextam illorum temporum. Sic enim omnia de studiis Principum, vitiis

\* BARTOLVS RICHIUS, poeticae, cuius fuit studiosus admodum, et utriusque linguae cognitionem, commendare non dubitem. Cui si quid humanitatis, studii, operae tribueris, Ioachimo docenti bonas litteras, in patria eius, tributum putabis. De aliis eius praceptoribus, in Academia Lipsica, conf. Vita Peiferi, Origg. Lips. praemissa.

\*\* Conf. Vita Huberti Langueti, aucto-

Holschundensis Saxo, in Epist. ad Petrum Victorium, inferta Epistolis clarorum Germanorum ad Victorium, T. I. p. 117. *Vicit meum pudorem tua singularis humanitas, et petitio huius iuuenis, tibi innoteſcere cupientis, Davidis Pifferi, Lipſici, vt ego tibi eum, carissimum Ioachimo Camerario, nostro praceptoris, ob studium*

vitiis ducum, mutationibus reipublicae scripta sunt, vt nihil in iis non adpareat.“ Iam quis mirabitur, Auditores, tantis illas in amoribus ac deliciis fuisse et adhuc esse viris magnis: quorum vnum eumque praeclarum valde, et illustri loco conspicuum, dixisse accepimus: Velle se diem aliquot facilius famem tolerare, quam in bona copia sua epistolas Langueti non tenere. \*\*\*\* Praeter hos pronum esset, nisi temporis includeremur angustia, rerum scriptores eximios cumplures, vt Ioachimum Camerarium, Calparum Peucerum, Petrum Albinum, Matthaeum Dresserum, commemorare: quibus omnibus Augustus vel ad molienda et perficienda Annalium monumenta auctor et suapor, vel certe studiorum laudator exstitit.

Consequutus autem erat Augustus hac sua rerum cognitione varia et exquisita in primis hoc, vt prudentiae laude Principes Europae fere totius antecelleret, consiliumque ipsius, in grauissimis negotiis, et ab multis vehe-

men-

auctore PHILIP. MARIO, (*de la Marre*) edita ab IOH. PET. LVDOVICO, (Hal. 1700. 12.)

\*\*\* Historica descriptio susceptae a C. M. executionis contra S. R. Imperii rebelles, eorumque receptatorem, et captiae urbis Gotha, folioque aequati castris Grimmenstein. (f. 1:1568. 4. rec. Bremae 1735. 4.)

\*\*\*\* Arcana Seculi decimi sexti, f. HVB. LANGVETI Epistolae secretae ad Principem suum, Augustum, Saxoniae Ducem et S. R. I. Septenuirum, editae ab IOH. PETRO LVDOVICO, (Hal. 1699. 4.)

\*\*\*\* Vid. IO. PETRI LVDOVICI Introduct. in rem nummariam Germ. mediae. (ed. Vlmae 1752. 8.) p. 245.

C



menter peteretur, et apud omnes plurimum valeret. Vnde arbiter Regum, arbiter Europae, columna Imperii, non ementitis, sed verissimis atque candidissimis elogiis est appellatus. \*

Quid vero, Auditores, de iuris, praesertim patrii, studio et intelligentia dicam? quam in Augusto fuisse prorsus egregiam luculentis indicis haud paucis adpareat. Ac primum leges, instituta, mores Germaniae, quibus tot populorum fortuna paret, Imperii tantum robur sustinetur firmaturque, ita animo comprehensas tenebat, ita fideli memoria custodiebat, ita habebat in promptu, ut consentientibus omnium iudiciis esset, vnoque omnium ore vocitaretur *Archium Imperii.* \*\* In Saxonia autem sua visus est plane Iustinianus aliquis esse; \*\*\* ac fuit. Nam et leges tum veteres atque inutiles vel emendauit, vel abrogauit, tum nouas plurimas condidit, et iudiciorum rationem totam correxit, et scholas atque Academias, praesertim hanc nostram, longe ipsi carissimam, remque omnem tum sacram tum ciuilem, omnibus modis stabiluit atque ornauit.

Inter

\* Vid. WILCKIUS loc. comm. p. 484. item G.E. LANI Mausoleum Saxonum, p. 28 sq.

\*\* WEISSIVS loc. comm. p. 130. Nec quantum laudis Augusto confituant, duo illa litterati orbis lumina

cynosuram,

arbitrum

Germaniae

et Regum vo-

cantes.

\*\*\* Vid.

\* \* \*

Inter haec litterarum et doctrinae studia animum indu-  
striamque ad artificiorum etiam varia genera, ad naturalium  
inuestigationem rerum, et ad Chymicae artis experimenta  
conuerit, non vt imperii curas et negotia Principalis for-  
tunae his talibus posthaberet; sed vt, si quid otii relinque-  
retur, id in cognoscenda re liberali collocaret. Quippe  
“artium et artificiorum paene omnium, inquit Matthaeus  
Dresserus, \*\*\* fundamenta, rationes et caussas miro acumi-  
ne inuestigauit. Quin Chymiae etiam cum Paullo Luthe-  
ro (Martini, is filius erat,) et aliis artificeibus operam pree-  
clararam nauauit, vt, quid veri falsique inesset, penitus cognos-  
ceret. Eo enim ingenio erat, vt a nemine, qui artem aliquam  
profitebatur, facile deludi se pateretur, sed artificium  
ipse perquireret, et veros quidem solidosque artifices ama-  
ret, muneribusque adsiceret, in deceptores vero seuere ani-  
maduenteret.“ Iam quod ad Chymicarum rerum adtinet  
tentamenta, satis constat, Auditores, pretium operaे ab Au-  
gusto factum esse prorsus eximium. Nam quum in trans-  
fundenda metallorum indole et natura saepe cognosset alio-  
rum ingenium et sollertia, eo usque tandem ipse peruenit,

C 2

vt

\*\*\* Vid. G.E. ADOLPH. SCHV-  
BERTHI Progr. de meritis Ele-  
ctoris Augusti in Iurisprudentiam  
Saxoniam.

\*\*\* Ifag. Hist. P. IV. p. 469. Au-  
gustus autem ipse, in epistola ad Illu-  
strem Principem, Vidanum, inter

PEIFERI Epistolas p. 221. Ample-  
bitur, inquit, artes vitae hominum  
utiles, et in his praecipue eas, quae  
summo ingenio et acri studio ex na-  
turae arcanis erutae atque indaga-  
tae aliquid non vulgare pree se  
ferunt.



vt (quis alii, praeterquam ipsi, rem credere posset?) "ex  
 „octo argenti vnciis auri perfectissimi vncias tres, singulis  
 „sex diebus, compararet.“ Neque his adquieuit, blan-  
 diente conatibus successu: sed rationem certam, "qua ex  
 „octo argenti vnciis, senis diebus, puri auri, quod in igni-  
 „bus etiam iteratis probum spectetur et integrum, semi-  
 „unciae duodecim ducerentur,“ voluit fibi ab Italo homi-  
 ne, talium non imperito, explicari.\*

Intelligo, Auditores, orationem a me tum propter tem-  
 poris angustias, tum propter ingenii mei tenuitatem, con-  
 trahendam esse, ne, quum rebus verba exaequare non  
 possim, patientia Vestra abutar. Vnum superest, quod si-  
 lentio haud praetermittam, Augusti in Mathematicas disci-  
 plinas

\* Tunat Augusti epistolam ipsam, ad Franciscum Forrensem, Italum, inter PEIFERI Epistolas p. 227. hoc loco sublicere: *Litterae tuae, quas ad nos vigesimo die mensis Octobris scripsisti, nobis VIII. Id. Decembr. demum sunt redditae, ex quibus tuam erga nos obseruantiam perspeximus. Cumque artes vobis humanis viles, quae Dei praepotentis beneficio, singulari hominum acutorum ingenio et sollertia, ex naturae abditis eruuntur, mirifice amemus: fieri non potest, quin nobis studium tuum, quod offers, gratissimum sit. Agimus itaque hoc nomine gratias.*

*Et quia ante id tempus, ab industriis hominibus, varia experimenta de transfundenda metallorum substantia nobis exhibita fuerunt, iam eo usque in hoc genere peruenimus, ut ex octo argenti vnciis, auri perfectissimi vncias tres singulis sex diebus comparare possimus. Quare neque arti tuae difidimus, neque difficilem esse modum arbitramur, quo intra octiduum duae aurivnciae ex sedecim argenti semiuncis conficiuntur. Si vero nobis certam et exploratam rationem demonstrare posse, qua ex octo argenti vnciis senis diebus puri auri, quod in ignibus etiam iteratis probum spectetur et inte-*  
*grum,*

plinas egregium studium, in hoc Principe tanto laudandum magis, quanto maior illarum in Aula erat antea neglectus atque contemtus. Nam, vt de ceteris instrumentis nihil dicam, ne machinas quidem istas, quas vulgo *Globos* vocant, habebat Princeps, quibus ad has artes delatus vteretur; sed tales primum illi a Ioachimo Camerario ex Lipsia nostra mittebantur. \*\* Praecipue Astrologiae incensus inflammatusque amore,

*Stellarum caelique plagi superisque vacauit,*  
magistro Io. Homilio, Mathematicarum disciplinarum et in-  
primis Astrologiae tum facile principe, Academiae Lipsi-  
cae fulgentissimo ornamento, quem propter praeclaram  
scientiam ipsi Carolo V. Caesari (Philippus Melanchthon \*\*\*

## C 3

disci-

grum, semiunciae duodecim ducerentur: utique non abs re exigitur, te ad nos arcessere. Interea et animatum, quantum quidem ex litteris tuis animaduertere licet, nostri studiorum, ac promptam nobis gratificandi voluntatem benigne complectimur.  
Datae ex arce Annaeburgensi, III. Id. Decembr. An. -- LXXVII.

\*\* CAMERARIUS in Epist. ad Jo. Homilium, Epist. Famil. Lib. IV. p. 374. *Globos meos accipies.* Neque in promptu erat statim Bornerianum auferre; et nimis ad usum parvus ille videbatur; et meis vti Illustrissimum Principem facile libenter-

que patior: quos etiam opto traxfando deteri, sicut a cupidis discendi solent elementorum libelli. Dixi igitur Dn. Secretario me subiectissime petere, ut illis Princeps vti velit tamquam propriis.

\*\*\* CAMERARIUS in Or. habita in declaratione Magistrorum, inserita SCHELHORNII, Viri Celeb. Amoenitatibus Litt. T. XIII. p. 456. In quo genere fabricationem Homilius maximus, et non modo virtute praestantissimus, sed sapientia quoque excellentissimus Imperator, Diuus Carolus, Philippi filius, Maximiliani nepos, tanti fecit, vt et opus illius



discipulum hunc Homilii vocat,) carissimum fuisse compemus. Sed neque fauore erga Homilium, nec studio in eius artem, Augustus Caesari quidquam concessit, ingenio illius et multis atque diuersis operibus, dimensionum, observationum, velutique metationum caeli et terrae organis adeo delectatus, ut et praemiis eum, et honoribus cumularet atque ornaret, vixque alio familiarius vteretur.\* Hoc igitur tali magistro, quo usque non illa diuini ingenii vis, quo usque non industriae summa contentio penetrauit? Sed est in studiis quoque nemini magis, quam Principi, necessaria quaedam animi moderatio: et sapientia est, ut ille ait,\*\* retinere ex sapientia modum. Neque enim discat Princeps, quod non sit in usu habiturus. Ita vero Augustus, sapientissimus et eruditissimus Princeps, ut ceterarum artium intelligentiam, sic in primis Astrologiae scientiam voluit ad publicam utilitatem transferre: quandoquidem, Petro Ramo teste, \*\*\* etiam ad caelestium motuum emanatio-

illius cunctis aliis, quae penes ipsum mones, quos haberet Imperator cum eo tempore essent innumerabilia, an referret, et auctorem maiestatis sua praecipuo fauore complectentesur, et diu multumque apud se versari vellet, partim ut operis rationem et usum penitus ipso demonstrante perspiceret, partim ut de sua etiam sententia illud augeretur et exornaretur. — Scimus in consiliis secretis, inter ser- mones, quos haberet Imperator cum intimis suis, saepe adstitisse, neque dimissum esse Homilium. Scimus non modo aditum illi in conclave Imperatoris, sed ad cubile etiam patuisse. Eamque ob rem Philippus Melanchthon, qui Homilium in primis diligebat, et faciebat plurimi, toco familiariter Imperatorem Carolum discipulum ipsius appellabat.

\* CAME-

dationem animum, haud minor Iulio Caesare, adiunxit, si nactus fuisset Sosigenem. Et nactus fuisset, si Homilio diuturnior vita contigisset.

Quae quum ita sint, Auditores, quid mirum, si noster hic Princeps studia ipsa litterarum tanto in honore habuit; si tantum in Academias liberalitatis (nam e praefecturis ultra triginta millia florenum quotannis eius permisso soluebantur, \*\*\*\*) effudit; si tam benigniter doctoribus publicis, tam benigniter disciplinae publicae alumnis prouidit. Qui tanti Principis tantus fauor nos omnes, qui in hac Vniuersitate litterarum versamur, acerrimis stimulis incitare debet ad studia doctrinae et virtutis colenda, ad obsequia legibus sapientissime conditis praestanda, ad veterem gloriam, huic nostrae scholae propriam, tuendam atque augendam.

His incitamentis accedit alia vel maior vel proprietor cauissa Tuum, **FRIDERICE AVGVSTE**, Princeps Elec-

tor

\* **CAMERARIVS** loc. comm. p. 457. item **PETRVS RAMVS** Schol. Mathem. Lib. II. p. 66. Conf. **SCHELHORNI** narratio de vita et meritis Io. Homili, l. c. p. 447 sq.

\*\* **TACITVS** in *Agricola*.

\*\*\* **RAMVS** loc. comm. p. 67. *Landgrauii (Vulhelmi Hassi) mathematica organa Augubum, Saxoniae Electorem, pari amore Astrologiae*

incenderunt, iam sua sponte et Homilio doctore vehementer incensum. — Augustum etiam ad caelestium motuum emendationem animum, illo Iulii Caesaris animo nil inferiorem, praese ferre dicitur, si Sosigenem nanciscatur.

\*\*\*\* **LANS** loc. comm. p. 28. **WEISSIVS** loc. comm. p. 136.



ctor Serenissime, Domine Clementissime, praesidium, et Serenissimi Poloniarum Principis Regii, qui nunc Saxoniae gubernaculis admotus est, et Principum Iuuentutis Serenissimorum, voluntas in nos propensissima. Deus Optimus Maximus Vos, cum Matre Patriae Indulgentissima, in vniuersae Saxoniae decus atque incrementum, quam diutissime praeftet incolumes ac felices !

**I**am vero, quoniam ita institutum est, vt hoc tempore legum praecepta recitentur ab eo, qui Academiae nostrae ab Actis est, agite, Committones, animis atque linguis fauete, eaque, quod facite, vita et exemplo porro exprimate ! —

Nihil supereft, quam vt inclutae quatuor Nationes de more secedant ad eligendos eos, quos in iure dicundo mihi adiutores, simulque fidei meae, quam integerrimam spondeo, testes esse velint. Hanc electionem Deus Opt. Max. fortunet, idemque Academiam esse saluam iubeat ! Dixi.



Vc. 2751. 8




St

WD 18

Ruteb.  
M.T.





IOH. GOTTLLOB BOEHMII

ACAD. LIPS. H. R. RECT. ET FAC. ART. DEC

DE

A V G V S T I

SAXONIAE DVCIS S. R. I. SEPTEMVIRI

SINGVLARI

I N

LITTERARVM ET ARTIVM STVDIA

AMORE

O R A T I O


ANTE

L E G V M A C A D E M I A E

PRAELECTIONEM

D. XX IVNII A. R. S. MDCCLXIIIIT

HABITA



LIPSIAE

EX OFFICINA HEINSIA

